V. CL. PAULO DE CUTTOLI DOMO CUTTOLI IN INSULA CORSICA METROPOLITANÆ...

Giuseppe Guasco

V. CL.

PAULO DE CUTTOLI

DOMO CUTTOLI IN INSULA CORSICA

METROPOLITANÆ BASILICÆ PARISIENSIS CANONICO

QUEM PIUS IX PONT. MAX.

EPISCOPUM ADJACENSEM RENUNTIAVIT

XII KAL. APR. A. MDCCCLXX

JOSEPHUS GUASCO

CURIO AD VIRGINIS SIDERIBUS RECEPTÆ IN CIVITATE BASTIÆ
LEGIONIS HONORARIÆ EQUES
SEMINARII ROMANI OLIM ALUMNUS

FELICITATEM.

BASTIÆ,
TYPIS FABIANI.

MDCCCLXX.

Voverat, et voti compos facta, illico votum
Lætitia exsultans solvit pia Cyrnus ad aram.
Magnus ab æterna, in qua fulget, Sede Sacerdos,
Pastorum princeps, urbis regnator et orbis,
Adspirante Deo, sacroque favente Senatu,
Regali ornatum doctrinæ dote, superque
Eximiæ pura virtutis luce micantem
Solemni ritu te inscribi, Cuttole, in albo
Pontificum jussit queis credita cura docendi,
Signandique viam quæ recte ducit ad astra.
Edidit oraclum supremus Mysta, simulque
Cyrnæi læto strepuerunt murmure montes.
Antiquæ non gentis honos, et splendor avitus,
Non aulæ aura secunda, potens non gratia regum,
Sed virtus (tua quæ res est magno empta labore)
Te, Paule, invitum sublimi in sede locavit.

264

Nunc si scire velis quare (pernicior Euro
Faustus ubi ad nostras pervenit nuncius aures)
Concordem omnino dederit tota Insula plausum.
Expediam paucis: *fuerant concordia vota.*
Pastorale pedum, et nitidam gestare tiaram
Nemo erat, ex populi placito, te dignior alter.
Atque ita delatos tibi summo a Præsule honores
(Quod patet hic refero) vox publica ubique probavit.
Ut, quamvis putri exesus præcordia tabo,
Non ausus rabido livor sit lædere morsu.
Tanta est virtuti divinitus insita virtus
Cum timido ingenuum vultum perfusa pudore,
Floridulo, præter morem, se prodit ab ævo!
Nondum vernabant rosea lanugine malæ,
Cum docile ingenium, formosa modestia, pulcræ
Immaturus amor laudis sperare jubebant,
Egregium puerum facta esse ad grandia natum
Digna cedro incidi, niveoque notanda lapillo.
Et vero, adscita splendescere luce recusans.
Fœdumque exosus torporem ignobilis oti,

Consilio ante horam maturo, a mollibus annis
Acclivem callem (raro pede, Cuttole, tritum)
Carpsisti audenter firma spe illectus olympi
Olim figendi fessas in vertice plantas.
Idcirco ardenti discendi accensus amore,
Sæpius insomnes voluisti ducere noctes,
Fortiter atque aspras studiorum ferre salebras.
Est autem ingenii tibi tanta innata facultas,
Ut, dum alii incerti cæcis anfractibus errant,
Tu breviore via, et directo tramite pergens,
Antevolas, omnes linquens post terga sodales.
Frangere quem nullus potuit labor, impiger usque,
Ceu pugil, in docta certabas, Paule, palæstra,
Fervida ubi virides æquabant prælia lauri;
Sicque tibi facilis semper victoria, ut ipsi
Suspicerent cani, si vera est fama, magistri.
Thessalici haud aliter gregis invidiosa propago,
Materno nuper depulsus ab ubere pullus
Nunc arvis insultat ovans, nunc flumina nando
Trajicit, ad palmas et jam proludit equestres.

266

Deficeret tempus si pandere singula vellem
Quæ tibi promeritum populi peperere favorem.
Servabuntque tuum nigra a rubigine nomen.
Adspectu cui, Paule, tuo fortuna beari
Per tot lustra dedit, celebrata Lutetia narret
Qualis sit mentis vigor, et prudentia falli
Nescia, quanta tuæ commissa negotia curæ
Eventum semper per te sortita secundum;
Ut clari specimen generis frons præferat, oris
Qualis sit gravitas dulci cui gratia nexu
Jungitur, urbano quanta in sermone venustas;
Quanta viri integritas, quanta observantia recti.
Divinum augendi quam fervidus ardor honorem!
Quod si spectata jam nunc virtute coruscas,
Præsentire datur quot, quando serior ætas
Presserit, ac multos annorum expleveris orbes,
Sis collecturus meritorum, Paule, maniplos.
Sic, ubi ab Eois rutilum caput exerit undis,
Divinare licet quales jaculabitur ignes
Cum cœli attigerit mediam sol flammeus arcem.

Non igitur mirum, Antistes si amplissimus, almam
Qui regit Imperii Sedem, pretiosius auro
Judicium expertus, mentemque apprima sagacem,
Excelsumque animum, dignos et principe mores,
Talibus instructum te, Cuttole, dotibus, alti
Muneris in partem, tota urbe probante, vocarit.
Non mirum, elapso si nondum vere juventæ,
Præclarum jam nomen habes, dignusque putaris
Qui sacro augustam cingas diademate frontem.
Ægre jam dudum tua Corsis habebat, alumnum,
Quem tenero fovit gremio, et quo jure superbit,
Dulces sub vitæ florem liquisse penates:
At se exorari passus Deus optimus, æquam
Applicuit tandem votis communibus aurem.
Quæ impubem accepit, reddit nunc Sequana adultum.
Reddit Pontificum croceis insignibus auctum,
Præsidium, et patriæ decus immortale futurum.
Audin' ut aëriis ferientibus astra metallis,
Nuper sacratum tellus Cyrnæa Dynasten
Efferat, atque suam geminatis plausibus edat

Lætitiam, et festo montes clamore resultent?
Aspice ut insontes pueri, innuptæque puellæ
Nativo candore magis quam veste nitentes,
Florea serta ferant, oculisque ad sidera versis,
Fausta tibi ex animo, et felicia cuncta precentur?
Aspice ut immixti, stipata per agmina, vulgo,
Incedant proceres, sacramque ut pone cohortem
Occursans subeat delecta caterva canentum
Qui numero librata pari discrimina vocum
Alternant, blandoque aures modulamine mulcent?
Proh quales sensus, quales in pectore motus,
Quam dulces lacrymas, suavissime Paule, ciebis,
Tu nostræ columen, nostræ tu gloria gentis,
Terræ cum patriæ ventus te admorit amicus,
Et dilecta iterum reduci pede littora tanges!
Ergo age rumpe moras, descende in vota precantum
Qui Superis æque caro, mortalibus æque,
In longum ardenter cupiunt Pastore potiri.
An non, quam primo traxisti in limine vitæ,
Dulce putes rursus jucunda vescier aura.

Natalemque domum, patriosque revisere colles?
Appropera viduæ squalorem abstergere Sedis
Chlamyde quæ in pulla funus testatur acerbum.
Quam tibi casta parens primis infudit ab annis,
Virtutem quæ sola potens, quæ sola beatos
Efficit, eloquio et factis hic, Paule, docebis:
Hic promenda tuæ felix solertia mentis,
Hic vis ingenii, et notissima rebus agendis
Dexteritas, scelerum seu monstra elidere pugnes,
Seu caveas pecori insidias, quas perfidus atri.
Invidia stimulante, Gigas molitur Averni,
Ritibus aut sacris priscum, templisque decorem
Restituas, juvenumque pia inter septa coronam
Crescentem erudias doctrina et moribus aureis.
Per te relligio, pietas, concordia, fluxis
Divitiis longe potior, pax candida regnent,
Et nova Cyrnæis accedat gloria fastis.
Vive tibi, et nobis, Pastor dilecte, virentem
Herois detur Pylii superare senectam;
Arbitrium sortis numquam patiaris iniquæ.

Nec tristes vitæ casus, sævasque procellas:
Sint sine nube dies, feliciter omnia vertant.
Sic lene usque tibi cælestis Spiritus afflet!
Sic semper promptas habeas ad fortia vires!
Nulli equidem latet, immensum, Paule optime, campum
Quem Sator æternus tibi tradidit ipse colendum,
Non interruptum noctesque diesque laborem
Exigere, ingentem curarum poscere molem;
Improbus est labor ille, mali mala semina passim,
Namque homines spargunt tetra sub nocte; nocentes
Hinc tribuli, et lolium infelix, lappæque tenaces,
Atque aliæ cultis obsunt quæ frugibus herbæ;
Sed velut indomitus patiensque laboris arator,
Cum cernit gravidis flavescere jugera aristis,
Attritam faciem, pulso mœrore, serenat,
Nec jam sudorum meminit quos fuderat ante;
Tu quoque, frugifera subeunte æstate, molestas
Agricolæ curas oblivisceris, opimam
In tua cum gaudens congesseris horrea messem.
Non te fortuito, credas mihi, Cuttole, casu

Doctoris gentum divinum nomen honestat
Qui, ut dites ferret sibi credita *Vinea* fructus,
Duro operi accingens sexcenta pericula obivit.
Multa tulit, multum sudavit et alsit; onustus
Hinc demum meritis radiantes cessit ad oras
Grandia gestarum laturus præmia rerum.
Post exantlatos, clarissime Paule, labores
Non unquam infracto virtutis robore, eadem
Sic tu etiam sponsa mercede frueris, eamdem
Cœlestum accipies nitida in regione coronam.